29

Sigism. III.

Ad Romanorum Imperatorem Epistola:

Serenissime Princeps Domine cognate et affinis Noster charissime. Vere ac Sapienter Mtas Vestra æstimat propugnandæ Familiæ desiderium Omnibus à Naa inditum potissimum ad Principes pertinere. Illud enim demum proprium Optimi ac Sapientis Principis decus, in caduca hac et mortali Statione immortalibus Studere, nominisque Sui perennitatem, non minus rerum gestarum gloria quam Sanguinis per Sacro Sancta connubia propagatione tueri. Qua mente Magestatem Vestram ad arduas belli cogitationes, nonam hanc gravi et maturo consilio ita adiecisse, ut si altero militantibus trophæis nominis Sui gloriam in altero inclytæ Familiæ pignora viva gentilitiæ laudis atque Virtutis Simulachra, ac monumenta novo Conjugio Studeat propagare. Equidem vel hoc ipso præclaro consilio Magestas Vestra eximie de inclyta Familia sua merebitur quæ sicut tot Regna Christiana atque adeo ipsum Romani Imperij decus, Suis Sceptris atque Coronis complexa est, Ita propagationem Ipsius ad incolumitatem gloriam ac firmamentum Reipublicæ Christianæ pertinere, una omnium bonorum vox, atque judicium est. Quare habemus quod nos Summum afficit voluptate quorum id ardens votum est ut augustissimum Mtis Vestræ Conjugium fecundum, ac Summorum heroum, qui Orbem Suis regant Imperiis ferax reddat. Quod quidem votum ex intimo affectu profectum Deum optimum Maximum, fortunatissimis auspicijs prosecuturum confidimus, quod Magestatem Vestram et novarum Nuptiarum Consilium Divinæ Voluntatis Decretis ennixam suscepisse intelligamus

4

intelligamus Tancatibq hisce Nuptiis hic qui eas Magestati Vestre inspiravit, Deus talemque earum fructum in Sinum MMVV. effundat, qui sit non minus Serenissime Ipsius Domui decori ac Solatio, quam Rpue Christianae gloriae ac firmamento. Valeat Mtas Vra omnique felicitate quam diutissime floreat.
Varsaviae 6 February 1622.